

PASSIO SANCTAE MARGARITAE VIRGINIS ET MARTYRIS ⁵

Post resurrectionem domini nostri Iesu Christi et gloriosæ tempus ascensionis eius in cælum ad patrem omnipotentem . in illius nomine multi martyres passi sunt : et apostoli coronati sunt : et innumerabiles sancti facti sunt : in nomine domini nostri Iesu Christi : et hunc mundum tyrannos et carnifices superauerunt . Adhuc tamen obtinebat insaniam hominum diaboli rabies : et idola surda et muta et cæca manu hominum facta adorabant : qui nec illis proderant nec sibi . Ego autem in nomi || ne Christi credens . Tectinus nomine omnes carthas perlegere constitui : Inuenique neminem in quem credere oporteret : nisi in nomine domini nostri Iesu Christi : qui cæcos illuminat : surdos audire facit : mortuos suscitatur : martyres coronat : et omnes in se credentes saluat . Ego Christi Tectinus baptismum accepi in nomine patris et filii et spiritus sancti : curavi agnoscere caute quomodo beatissima Margarita omtra^f dæmonem et tyrannum : dimicauit : et scripsi omnia : quæ passa est beatissima Margarita : quando pugnavit contra dæmonem eumque uicit : et coronata est . omnes aures audite : corda intelligite : uiri uirgines proponite uos ueluti puellæ hæc legere : Ita laborate : ut accipiatis salutem : et coronam : sanctis repromissam . Beatissima autem Margarita erat Theodosii filia : qui gentilium erat patriarcha : et idola adorabat . Illa autem spiritu sancto repleta mox ut nata est : Lata est in quandam ciuitatem stadiis quindecim ab Antiochia distantem : Susceperat mortua autem mater beatæ Margarite desyderio nutrices tenebatur quia formosissima erat . Christumque inuocabat : et eum adorabat . Odiosa erat patri : dilecta domino Iesu Christo : Erat autem annorum quindecim . Et delectabatur in domo nutricis suæ . Audiuit omnia martyrum certamina : quia multus sanguis iustorum effundebatur pro nomine Iesu Christi saluatoris nostri . Ista uero spiritu sancto repleta totam se tradidit domino : qui eam saluam et uirginem reddidit : pascebat oues nutricis suæ : cum cæteris puellis cœtaneis suis . In diebus illis Oliberius præfectus ex Asia Antiochiam ciuitatem profectus est : Veniebat autem persequi christianos : et deos nanos multos suadebat adorare : et ubi audiebat quempiam Christum nominare : statim eum ferreis nexibus constringebat . Forte uidit beatissimam Margaritam oues nutricis pascentem : statimque eam concupiuit . Dixitque ministris suis : Ite festinanter comprehendite puellam illam et interrogate : si libera sit : accipiam eam mihi uxorem : Si ancilla dabo ei pretium : et erit mihi concubina . Bene ei erit in domo mea propter eius pulchritudinem . Cum autem comprehenderent eam mi | lites qui missi fuerant a præfecto : beata Margarita inuocare cœpit Christum ac dicere . Miserere mei domine . miserere mei : ne perdas cum impiis animam meam : aut cum uiris sanguinum uitam meam . fac me lætari semper in te domine Iesu Christe et te semper colaudare . Ne permittas animam meam contaminari : et ne polluat fides mea . Non inquinetur corpus meum : Non proiciatur Margarita mea in lutum : non immutetur sensus meus a turpitudine unquam . et ab insipientia diaboli : Sed trans mitte mihi angelum gubernatorem ad aperiendos sensus meos : et ad respondendum cum fiducia

⁵ Ed. BONINUS MOMBRIUS, *patricius Mediolanensis, Sanctuarium seu Vitae Sanctorum collectae ex codicibus manuscriptis*, t. 2, f. 103, Mediolani 1479. Il testo è tratto dalla nuova edizione B. MOMBRIUS, *Sanctuarium seu Vitae Sanctorum – Novam hanc editionem curauerunt duo Monachi Solesmenses*, Parisiis 1910, V. II ed., pp. 190-196.

MARGARITA

impio et iniquo præfecto sanguinario . Video enim me ut ouem in medio luporum .
 ecce facta sum sicut passer in rætibus compræhensa : et sicut piscis in hamo . ecce adiuua
 me : et sana me domine : ne me derelinquas in manibus impiorum . Venerunt milites ad
 præfectum : et dixerunt ei : Domine puella illa non est seruiens diis nostris : sed
 Christam precatur : quem iudei crucifixerunt . Oliberius uero mutans uultum iussit
 eam ante se adduci et dixit ad eam : ex quo genere es tu . Enarra mihi : libera es an
 ancilla ? Beata Margarita respondit : libera sum ego et christiana : cui præfectus :
 Cuius fide regeris : uel quomodo nuncuparis ? Respondit : Nomen meum : Margarita
 dicor : præfectus quem deum colis uel quem deum adoras ? ad quem illa : Ego
 inuoco deum omnipotentem et eius filium dominum Iesum Christum : qui meam
 uirginitatem usque in præsentem diem illesam atque inuiolatam custodiuit . Præfectus
 dixit . Ergo inuocas domini Iesu Christi nomen : quem patres mei crucifixerunt ?
 Sancta Margarita respondit : Patres tui Christum crucifixerunt : Ipse autem permanet
 in æternum : et regni eius non erit finis . Tunc iratus præses iussit beatam Marga-
 ritam in carcerem recludi donec inueniret : quali machinatione eius uirginitatem
 perderet . Introiit iniquus Præses^t in Antiochiam et adorauit deos stotos surdos et
 mutos secundum suam fidem . Secundo autem die uenit : et sedit pro tribunali : et
 iussit adduci puellam : et dixit ad eam . Vana puella miserere tuæ pulchritudini et
 teneritati tuæ magis autem consenti mihi : et adora deos meos : et multam tibi dabo
 pecuniam : et bene || tibi erit super omni familia mea : ad quem Margarita : Cognoscit
 deus : qui meam uirginitatem consignauit : quia non me suadebis : nec poteris me
 mouere de ueritatis uia : quam ego cœpi ambulare . Nam ego illum adoro : quem
 terra contremiscit : mare formidat : quem timent uenti et omnis creatura : cuius
 regnum in sæcula sæculorum amen . Præfectus dixit : Si non adoras deos meos
 gladius meus dominabitur carni tuæ : et ossa tua dispergam super ignem candentem .
 Nam si audieris mihi et adoraueris deos meos : corpus tuum erit mihi in amorem .
 Ecce ante omnes tibi dico : et accipio te mihi in coniugium : et bene tibi erit sicut
 et mihi : Sancta Margarita respondit : Ego trado corpus meum : ut cum iustis uirgi-
 nibus requiescam : Christus semet ipsum pro nobis tradidit in mortem : et ego pro
 ipso mori non dubitabo : Quia ipse suo signaculo sibi me consignauit . Tunc iussit
 Oliberius questionariis suis eam in aere suspendi : et uirgis subtilibus eam cædi præ-
 cepit . Beatissima autem Margarita aspiciens in cælum dixit : In te domine speraui .
 non confundar in æternum . neque irrideant me inimici mei . et enim qui sustinent
 propter nomen tuum domine : non confundentur : quia nomen tuum benedictum est
 in sæcula . Et iterum orauit beatissima Margarita . et dicebat . respice in me : et
 miserere mei domine . et libera me de manibus impiorum et de manu carnificis : ne
 forte percussa formidet cor meum . Sed mitte ros sanitatis ut mitigentur plagæ meæ
 et dolor meus requiescat : et conuertatur in gaudium . hæc ipsa orabat . et quæstio-
 narii cædebant uirgis corpus tenerum . et sanguis eius tanquam aqua de fonte puris-
 simo decurebat . præco autem clamabat : Crede Margarita . crede : et bene tibi erit
 super omnes puellas . Nam pro multa sanguinis effusione illic astantes omnes super
 eam amarissimæ flæbant : et dicebant quidam ex eis : O Margarita uere dolemus te :
 quia te nudam lauari conspiciamus : oh qualem decorem propter incredulitatem
 tuam perdidisti : præfectus iste iracundus est : et perdere te festinat : et delere de terra
 memoriam tuam : Crede illi et uiues . Beata Margarita respondit : O mali consultores :
 Ite uiri ac mulieres ad opera uestra . mihi autem | deus adiutor est . o mali consiliarii
 o impudici quid putatis . Si corpus meum exterminatur : anima mea cum iustis uirgi-
 nibus requiescet . Per ista corporum tormenta animæ saluæ inueniuntur . Credite
 uos in dominum meum : qui fortis est in ueritate : et petentes se exaudit : pulsantibus
 aperit portas paradisi . Nam ego uobis non audio . nec deos uestros surdos et mutos :
 manu hominum factos adoro . et dixit præfecto : Tu facis opera patris tui Sathanæ .
 o audax canis et impudens : mihi autem deus meus adiutor est : et si in carne mea
 data est tibi potestas : animam meam Christus eruet de manu tua . o horribilis o insatia-
 bilis leo deo abominabilis et Christo : confuse cuius uirtute conicietis in perpetuam
 pœnam . Benedictus dominus deus meus in sæcula sæculorum amen . Tunc præfectus
 iratus iussit eam in aere suspendi : et cum uirgulis accerbissimis carnes eius dirumpi .
 Beata autem Margarita aspiciens in cælum dixit : Circundederunt me canes multi .
 concilium malignantium obsedit me . Tu autem deus in adiutorium meum exurge . eruæ

Tortura

MARGARITA

animam meam et de manu canis unicam meam . Salua me ex ore leonis et a cornibus unicorni humilitatem meam : Conforta me Christe : et da mihi spem uitæ ut penetret oratio mea cælos . Transmite mihi columbam de cælo : quæ ueniat mihi in adiutorium : ut immaculatam tibi obseruem uirginitatem meam : et dimicem contra aduersarium meum faciæ ad faciem : et uideam deiectum inimicum meum : qui mecum pugnat . Quid illi nocui ignoro . Vincam eum et dem fidutiam omnibus uirginibus confidere : quia nomen tuum benedictum est in sæcula . Carnifices uero accesserunt : et mactabant corpus eius : Nam impius præfectus clamide faciem suam operiebat : Quia præ sanguinis effusione nequaquam poterat eam aspicere : itidem cæteri faciebant . Præfectus dixit : Quid est quod non audis Margarita : neque tu ipsa tui miseris ? et carnes tuæ iudicio meo mactatæ sunt . Consenti mihi et adora deos meos ne male moriaris . Si autem me non audieris : gladius meus dominabitur carni tuæ . Et ossa tua ego dispergam : et neruos tuos dinumerabo ante omnes . ad quem beatissima Margarita respondit : o inique et impudens . si ego carni meæ misereor anima mea || utique in interitum uadit sicut et tua . Sed imo carnem meam tradidi in tormentis : ut anima mea coronata sit in cælis . hic iratus Oliberius iussit eam recludi in carcerem : erat enim hora septima : Et duxerunt eam et recluserunt in carcere tenebrosc^t . Ipsa uero introiens consignauit corpus suum signaculo Christi : et cœpit orare ac dicere : Deus qui iudicium sapientiæ decreuisti : quem contremiscunt omnia sæcula et in eis habitantes : quem expauescunt omnes potestates : desperatorum spes : pater orphanorum : et iudex uerus : lumen de lumine . respice in me : quia sola sum unica patris . et ipsa me dereliqui : ne tu me derelinquas . Domine deus aspice in me : et miserere mei : præcipe : ut uideam inimicum meum : qui contra me pugnat : et iudicium afferam contra eum : ut loquar cum eo faciæ ad faciem . Tu es iudex uiuorum et mortuorum : tu iudica inter me et illum : et enim in agone tristis sum facta : et tibi inter plagas meas ingemisco : Noli mihi irasci domine meus : nec inquinetur anima mea : nec commisceatur sensus meus cum idolis surdis et mutis : In te est spes mea Christe : quia ipse es benedictus in sæcula sæculorum^t amen .

Continuis autem erat in carcere et nutrix eius : ministrantes ei panem et aquam : et aspiciebant per fenestram : et orationem eius scribebant : et omnia quæ eueniebant cum timore dei notabant : et ecce subito de angulo carceris exiuit draco horribilis : totus uariis coloribus deauratus . Capilli eius et barba aurea : et uidebantur dentes eius ferrei . Oculi eius uelut Margaritæ splendebant : et de naribus eius ignis et fumus exibat . lingua illius anhelabat . super collum eius erat serpens . gladius candens in manu eius uidebatur : et fætorem faciebat in carcere . traxit se in medium carceris : et sibilabat fortiter . et factum est lumen in carcere ab igne : qui exibat de ore draconis . Sancta autem Margarita facta est ut hærba pallida : et formido mortis cecidit super eam : et collidebantur omnia ossa eius . Oblita enim erat a pauore : quia dominus exaudisset orationem eius . Propter quod dixerat : Demonstra mihi deus : qui mecum pugnat : et fixit genua in terram : et expandit manus ad orationem : et dixit . deus inuisibilis : quem abyssi | et thesauri abyssi contremiscunt : qui formasti paradysum indeficientem : et mari terminum posuisti : et non transeunt præceptum tuum : infernum deuastasti : diabololum ligasti : qui extinxisti potestatem magni draconis atque uirtutem : respice in me : et miserere mei . quia sola orphana et tribulata sum . Ne permittas hanc feram nocere mihi . Placeat tibi domine : ut uincam eum et feruorem eius . Quare aduersum me pugnat ignoro . quid illi nocui ignoro . Absorbere me festinat : et in caueam suam deducere quærit . Dum hæc diceret beata Margarita : draco ore aperto posuit os suum super caput beatissimæ Margaritæ : et linguam suam porrexit super calcaneum eius : et suspirans deglutiuit eam in uentrem suum . sed crux Christi quam sibi fecerat beata Margarita creuit in ore draconis : et et^t in duas partes eum diuisit . beata autem Margarita exiuit de utero draconis : nullum dolorem in se habens . et ecce ipsa hora aspexit in partem sinistram et uidit alium diabololum sedentem ut homo niger hahensque^t manus ad genua colligata : Beata uero Margarita uidens orauit dicens : Laudo et glorifico nomen tuum deus . gaudeo et exulto lapis angularis Christe Iesu : rex immortalis : columna fidei principium sapientiæ . innumerabilium angelorum perpetuus rex : fundamentum forte . Nunc fidem meam florentem uidi : gaudium animæ meæ : uidi Ruffonem dæmonem in terra prostratum : uidi homicidam interfectum . uidi fætorem eius a

Tortura

Nutrice che reca conforto alla santa

Apparizione del drago

MARGARITA

me cessare . uidi infernum prostratum . uidi uermem comestorem conculcatum . uidi putredinem eius recedentem a me . uidi uenenum eius terga uertens . uidi rabiem eius quiescentem . uidi crucem meam florentem . uidi fidem meam germinantem . uidi corpus meum odorem suauitatis emanans . uidi oleum sanctum ad me ueniens expecto columbam meam hilarem ad me uenientem . Vidi . gaudeo : et exulto : et in suauitate consisto . Draconem interfeci . audaciam multiformis conculcaui . fiduciam æternam teneo . Ideoque tibi gratias ago sanctæ rex immortalis perpetuæ Imperator : Refugium omnium peccatorum : gubernator et turris fortitudinis : corona martyrum : Margaritarum uirga aurea : cathedra refectionis : || lapis pretiosus : saluator omnium deus benedictus in sæcula sæculorum amen . et dum in oratione sua hæc diceret : Surgens dæmon accessit : et tenuit manum beatæ Margaritæ : et dixit : sufficiat tibi Margarita quod fecisti . cessa iam a me : multum te uideo in oratione perseuerare . Ego quidem misi fratrem meum Rufonem in similitudine draconis : ut absorberet et tolleret de terra memoriam tuam et uirginitatem tuam obrueret et tu decorem tuum perderes : Tu uero eum signaculo Christi uicisti : et nunc per canticum et me perdere cupis . Peto te . cessa iam a me . Tunc sancta Margarita uirgo compræhendit dæmonem et per capilos deflexit eum in terram : et posuit pedem suum dextrum super ceruicem eius : et dicebat ei : Cessa de mea uirginitate . Ego dominum habeo . Cessa maligne genus horribile . Cessa homicida . Christus mihi protector est . Cessa fætor maligne : iniqua fera : auctor gehennæ . Ego agna Christi . ego domestica eius sum . ego ancilla dei . ego sponsa Christi : cuius nomen benedictum in sæcula . Dum hæc diceret : subito lumen refulsit in carcere : et crux Christi uidebatur usque in cælum : et columba super ipsa cruce sedebat et dicebat : Beata es Margarita quæ draconem occidisti : quæ dentes eius comminuisti . Beata es Margartia[†] : quæ uirginitatem desyderasti . tibi est parata corona gloriæ . te expectant portæ paradisi . Tunc agens deo gratias beata Margarita : conuersa dixit : Diabole unde est natura tua enarra mihi ? Dæmon dixit præcor te sancta famula Christi : alleua pedem tuum de ceruice mea : ut quiescam modicum : et narrabo tibi omnia opera mea . Sancta autem puella subleuauit calcaneum suum de ceruice eius : et statim dæmon dixit : Beelzes cognomen est mihi post Belzebub . Ego multorum iustorum labores in uentrem meum glutiui : et ego contra omnes pugno : et nullus me potuit uincere : Tu autem oculum meum eiecisti . uirtutem meam confregisti . Rufonem occidisti : et nunc quia uideo in te Christum manentem : facis quod tibi placet : antequam Christus in te maneret : terra eras et cinis : et totum corpus tuum exterminatum erat . Nunc autem ex quo accepisti cælestem prophetam : aliam in te uideo formam . Vnde in te aurei pedes digno | scuntur : et signum Christi in te ostenditur : per quod in te fructus iustitiæ maturus et suauitatis et gratiæ plenus ostenditur : Candidi super lac digiti tui figurati signaculo Christi . Cum ipso signo uicisti me : et per ipsum Rufonem occidisti : per quem et alligasti me . Christus ergo qui ante sæcula est requieuit in te : per cuius sigillum coligasti me . ego labores multorum abstuli : et glutiui in uentrem meum . Ego sum qui pugno cum iustis . et incendo renes eorum : et obcæco oculos eorum : et obscuro sensus eorum : et facio eos obliuisci omnem cælestem sapientiam[†] . Et cum dormierint uenio super eos : et excito illos a somno : et uado super domus aliorum : et quos non possum mouere de somno : facio in somno peccare : et quacumque sorte uentillo eos : ut mihi placet : et famen nemo de manu mea euadit : et cum omnibus pugno : et omnes conquasso . Sed de illis dico : in quibus portionem habeo : quos frigidus et sine uexillo crucis inuenio : et qui fidem suam negligunt : et a sanitate immundicias redire cupiunt : hos meis armis insidior : et labores eorum quibus deo seruiunt . nam qui tibi similes sunt . confusus et uacuis discedo ab eis : quemadmodum et a te hodie o beata Margarita superatus sum : et quid faciam ignoro . arma mea confusa sunt . uel si iuuenis me uinceret : non curassem . Ecce a tenera puella superatus sum : et in hoc doleo quia pater et mater tua o Margarita beata socii mei fuerunt et modo ista aduersus genus meum surrexit . O mirandum quia filia tenera superauit patrem et matrem et totam generationem suam : et Christum secuta est : ligat dæmones : diabolum fugat : et aliquos occidit . Vere uirtus nostra nihil ualet : quoniam a paruulla puella superatus sum . Sancta Margarita respondit : Enarra mihi genus tuum inique : quis[†] te genuit : uel quis uobis præcepit in sancta opera insidiari . Demon dixit . Dic mihi

Seconda
apparizione del
demonio

MARGARITA

Margarita : unde uita tua : unde membra tua : quæ in te mouentur : unde anima tua unde fides tua : uel quomodo ingressus est Christus in te . Et ego dicam tibi opera mea omnia : quæ feci . Sancta Margarita respondit : Non mihi licet hæc tibi nunciare : quia nec dignus es audire uocem meam . || gratia enim dei sum : quod sum . Dæmon dixit : Sathanas rex noster est : qui proiectus est de paradiso in aerem : et mittit nos ubi uult : et ubi audimus opera iustitiæ : currimus cum armis nostri pugnare cum illis et si audierit : quod tu Ruffonem occidisti : irascetur super te : et nocebit tibi : quia nos facti sumus angeli desertores . In libris tamen ianuæ et membræ inuenies genus nostrum . scrutare et uide . Ego autem non sum ausus loqui tibi . Video Christum circa te ambulantem : et contremisco : Nam uiæ nostræ non sunt super terram sed cum uentis ambulamus . peto te agna dei : relaxa me modicum : ut uiuum uerbum loquar tibi : et dixit iterum diabolus : Ecce adnunciani tibi omnia opera . adiuro te per dominum tuum et Christum filium eius : in quo credis : ne me plenius de anima eiicias : sed magis liga me in manu terræ usque in uita tua : ut non pugnem cum iustis neque aduersus te . Nam Salamon in uita sua inclusit nos in uno uase : sed post mortem eius ignem mittebamus ex ipso uase . et uenientes homines Babylonie putauerunt aurum inuenire : et fregerunt ipsa uasa : et tunc nos laxati impleuimus orbem terrarum : Sancta Margarita respondit : Dæmon inique obtumesce[†] : et sile et hoc iam non audiam uerbum ex ore tuo : et consignauit eum in angulo carceris : et dixit : uade post me Sathanas : et terra suscepit eum : et dixit facias rationem de animabus quas perdidisti . Altera die iussit præfectus beatam Margaritam adduci : et cum exiret de carcere consignauit corpus suum signaculo[†] Christi : et cæteri ciuitatis conuenerunt uidere : quæ patiebatur beata Margarita : Præfectus dixit : Margarita consenti mihi ? et adora deos meos : decet namque deos adorare . ad quem sancta Margarita respondit : Te decet præfecte meum deum adorare : et Christum filium eius : ut amicus sis prophetarum si dignus es . Præfectus dixit : Expoliare eam : et in carcere eam suspendite : et incendite eam lampade ardente . Quæstionarii itaque fecerunt : et comburebant[†] corpus eius : et ipsa orabat dicens : Vre domine renes meos et cor meum : ut in me non sit iniquitas . Præfectus dixit : Consenti mihi : et sacrificia diis . cui illa non consentio nec adoro deos surdos et mtos[†] | Non enim poterit diabolus uincere castam puellam . consignauit enim omnia membra mea Christus . Iubet itaque Præfectus afferi uas magnum plenum aqua : ligari pedes et manus beatæ Margaritæ : et ibi eam mortificari . Quæstionarii itaque fecerunt : sicut erant docti : Beata Margarita aspiciens in cælum dixit : Domine qui regnas in æternum disrumpe uincula mea : et tibi sacrificabo hostiam laudis : fiat mihi hæc aqua aqua sanitatis . fiat mihi suffocatio hæc illuminatio salutis . fiat mihi hæc aqua fons baptismatis indeficiens . indue me galeam salutis . ueniat super me sancta tua columba spiritus sancto plena : et benedicat in nomine tuo aquam istam . Expolia me ueterem hominem et indue me aquam istam in uitam externam . Confirma uitam meam . clarifica sensum meum : et proice a me peccata mea . salua me in tua gloria . baptiza me in nomine patris et filii et spiritus sancti : quia ipse est benedictus in sæcula sæculorum amen : et ecce terræmotus factus est magnus in ipsa hora : Et columba uenit de cælo habens in ore suo coronam auream : et sedit super beatam Margaritam . Tunc solutæ sunt manus et pedes eius : et exiuit de aqua collaudans dominum : et benedicens deum Israel dicens : Dominus regnauit . decorem induit . induit dominus fortitudinem : et præcinxit me ; Illuminasti me . honorificasti me domine . glorificasti me Christe . defendisti me domine : et miseratus es unicæ ancille tuæ : qui es benedictus in sæcula sæculorum amen : et facta est nox columbæ dicens : Veni Margarita in requiem Christi tui . ueni Margarita in regnum cælorum . Beata es quæ coronam uitæ accepisti . Beata es quæ uirginitatem desyderasti : in ipsa hora crediderunt in domino uiri ad quinque millia exceptis mulieribus et paruulis . Tunc iniquus Oliberius sententiam tulit : et iussit quæstionario decollare eos . qui crediderunt et decolati sunt in capolim et in armenia ciuitate et post pusillum iussit beatam Margaritam gladio interimi . Questionarii comprehenderunt eam : et duxerunt foris ciuitatem . Dixit Maleus ad eam : Extende ceruicem tuam . suscipe gladium meum : et mei miserere : quia uideo circa te Christum cum angelis suis || stantem . beata Margarita respondit . Peto te frater : ut si uides Christum parcas mihi dum orationem facio : ut comendem spiritum meum in

Tortura

Tortura
della vasca

locum refrigerii . Quæstionarius dixit : Pete quantum uis . Tunc heata^t Margarita cœpit orare et dicere . Deus qui palmo mensurasti cælum et pugno mensurasti terram : qui mari limitem posuisti exaudi deprecationem meam : ut si quis legerit librum gestæ meæ : aut audierit passionem meam legendo : ex illa hora deleantur peccata eorum . Et quisquis lumen fecerit in basilica mea de suo labore : non imputetur peccatum illius ex illa hora . quisquis fuerit in illa hora in iudicio terribili . et memor fuerit nominis mei : libera eum de tormento . Adhuc peto domine : qui legerit aut qui tulerit uel qui audierit eam legendo : ex illa hora non imputetur peccatum illius : quia caro et sanguis sumus . et semper peccamus : Adhuc peto domine : ut qui basilicam in nomine meo fecerit : et scripserit passionem meam : uel qui de suo labore comparauerit codicem passionis meæ : reple illum spiritus sancto tuo : spiritu ueritatis . et in domo illius non nascatur infans claudus aut cæcus uel mutus . neque a spiritu temptetur : et si petierit de peccato suo : indulge ei domine : Tunc facta sunt tonitrua . et columba uenit de cælo cum cruce et loquebatur beatæ Margaritæ : et omnes qui ibidem stabant : cæciderunt in faciem suam super terram . et beata Margarita et ipsa cecidit in terram ante faciem domini : et columba tetigit eam et dixit . Beatus est namque uenter mulieris . Beata es Margarita : quæ in orationibus tuis omnes memorasti . Per me meipsum iuro et angelorum meorum gloriam : quia quidquid petisti exauditæ sunt deprecationes tuæ . et quod non es commemorata : hoc tibi datum est . Beata es tu : quæ in pœnis memorasti omnes peccatores . et ubi fuerint reliquiæ tuæ aut codex passionis tuæ . et : uenerit peccator orans cum lachrymis : et posuerit os suum super memoriam tuam : ex illa hora dimittantur peccata eius : et ubi codex martyrii tui fuerit spiritus nequam ibi non ingreditur : sed pax caritas spiritus ueritatis in illo loco letabitur . Sed quicumque in orationem suam te inuocauerit : remissionem peccatorum inueniet : et beata es tu : et locus ubi requiescis : beata es tu et omnis generatio quæ credit per te . Veni celerius in locum tibi præparatum : Ego tecum sum . et aperiam tibi ianuam regni cælorum . Tunc beata Margarita respexit in circuitum et dixit : Patres et matres sorores et fratres omnes uos adiuro per nomen magnum Regis sæculorum : memoriam facite . nomen meum nominate : et comendate me . et si ego peccatrix sum attamen obsecro pro uobis dominum Iesum Christum : ut donet uobis remissionem peccatorum . et faciet uos hæredes in regno gloriæ suæ : et illuminet uos in regno claritatis suæ . Deo enim gratias ago regi omnium sæculorum : qui dignum^t me faciat in sortem iustorum introire . hymnum dico deo : laudo et glorifico Christum qui est deus benedictus in sæcula sæculorum amen : et post orationem erexit se et dixit frater tolle nunc gaudium tuum et percutite me . Ecce iam uici mundum : Ille dixit : Ego hoc non facio : nec interficere sanctam uirginem dei . Deus autem tibi locutus est : propterea te interficere non possum : Beata Margarita respondit . Si hoc non feceris non habebis partem mecum in paradiso dei . Tunc quæstionarius cum timore et tremore attulit gladium suum et in uno ictu percussus amputauit caput beatæ Margaritæ et adorauit dicens . Domine ne statuas hoc mihi in peccatum : et tremens percussor cecidit cum percussorio suo ad dexteram partem beate Margaritæ . Tunc uenerunt angeli et sedentes super corpus beatæ Margaritæ benedixerunt illud : et ueniebant demones et torquebantur et uocibus clamabant : Unus deus fortis deus magnus beatæ Margaritæ . Et audientes omnes infirmi ceci claudi surdi debiles impotentes omnes ueniebant et tangebant copus^t beatæ Margaritæ : et salui fiebant . Tunc descendentes angeli cum uirtutibus^t tollentes animam beatæ Margaritæ in gremio suo : ascenderunt super nubem clamantes et dicentes : Non est tibi similis in diis domine : et non est secundum opera tua : Sanctus sanctus sanctus dominus deus sabaoth : pleni sunt cæli et terra gloria tua osana in excelsis : benedictus qui uenit in nomine domini rex Israel Et .^t uenientes demones ad reliquias beatæ Margaritæ tor || quebantur . infirmi uenientes saluabantur a languoribus suis . et credebant . Ego enim Tectinus tuli reliquias beatæ Margaritæ : et reposui eas in scrineo quod feci de lapide . cum odore suauitatis . et posui eas in Antiochia ciuitate in domo . Sicliti et Matronæ . Ego enim eram qui ministrabam in carcere ei panem et aquam : et ego considerauim omne certamen : quod habuit contra impios bellatores et omnes orationes eius scripsi in libris carteneis cum multa astutiâ : et transmissi omnibus christianis omnia in ueritate . Compleuit autem beata Margarita certamen suum in pace die quinto mense Iulio . Omnes audite . corde

Decapitazione

MARGARITA

compungite : sensum ponite . dominum adorate in unam trinitatem . Memoriam beatissimæ Margaritæ facite in sua nos prece memoretur ante dominum nostrum Iesum Christum : qui cum patre et spiritusancto uiuit et regnat in sæcula sæculorum Amen .